

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI;  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Xa. 4

TERRAE  
SIGILLATAE

NUPER IN GERMA-  
NIA REPERTAE,

Vires atque virtutes admirandæ,  
eiusque administrandæ ac  
vsurpandæ ratio.

*Ex multiplici experientia* ANDREAE  
BERTHOLDI Oschacen-  
*sis Misnij.*



Anno M. D. LXXXIII.

13)

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
SACSEN-ANHALT  
MAGDEBURG  
DEPARTMENT OF  
HUMANITIES  
AND SOCIAL SCIENCES  
UNIVERSITY OF  
MAGDEBURG  
LIBRARY



DE  
VERAE ET PROBATAE  
TERRAE SIGILLATAE GER-  
MANICAE, SIVE AXVNGIAE SO-  
LIS, VIRTUTE, VIRI-  
BUS, ET VSV.

**R**IMVM (quod in natura rerum maxima cū  
veneratione admirandum & celebrandum) in  
primis aduersatur toxicis, philtis ac venenis cru-  
delissimis ac robustissimis, aut cuiuscunque ge-  
neris per os assumptis, eaque per vomitum expeditissimè ac  
felicissimè reicit, si vel antè, vel statim post hausta venena  
sumatur, sin aliquantò tardiùs, per sudorem eadem expel-  
lit.

Secundò, eadem naturæ admiranda facultate crudelissi-  
mo & horrendo pestis contagio resistit, non solùm ab hoc  
præseruando tutos reddens eos qui hac vtuntur, sed iam in-  
fectos & semimortuos, ab Orci faucibus & præsentissima  
morte, miraculosa celeritate reuocando.

Tertiò, non dissimili virtute ac ratione omnium ferè ve-  
nenatorum animalium, & insectorum morsibus, ictibus aut  
punctionibus, itidem vulneribus ab infectis ac venenatis ar-  
mis quocunque modo illatis, si quid aliud, promptissimè  
medetur.

Quartò, singularem & suauiem quandam amicitiam, &  
admirabilem sanè sympathiam, cum vitalibus humani cor-  
poris partibus habere, compertum est: ita vt mirum in mo-  
dum cor ipsum confortet, cerebrum reficiat, & aliis quibus-  
cunque viscerum malis strenuè aduersetur. Huic omnem



tere cephalalgiam demulceat, cardialgiã remouet, palpitationem cordis sedat, oculorum vulnera & læsiones, inflammationes, lippitudines, ac fluxiones curat. Itidem in testium & cerebri vulneribus, inflammationibus, ea remedia præstare hanc nobilissimam terram experientia docuit, quæ vix vlla alterius generis medicina vel promittere, vel exercere possit.

Quintò, contra omnem hæmorrhoiã, siue ex venis, siue ex arteriis ipsis, vel ex quacunque tandem corporis parte sanguis effluat, nullum præstantius aut fortius remedium hac ipsa inueniri potest.

Sextò, simili quoque ratione catarrho, rheumati, coryzæ, ac grauedini medetur.

Septimò, dysenteriã, lyenteriam, diarrhœam, atq; omne ventris molestum profluuium non minùs feliciter quàm cõmodè curat, & omnem hypercatharsin sistit.

Octauò, ambustis, vel ab igne, vel aqua feruente, vel liquefactis metallis, per optimè succurrit, tum prohibèdo ne ascendant pustulæ, tum partes oblæsas citissimè restituendo.

Nonò, vulnera recentia, & vlcera inueterata, ac maligna pulcherrimè sanè ac maturè curat.

Decimò, contra anginam, & aliarum partium internarum inflammationes præsentissimum est remedium.

Vndecimò, contra pruritus, scabiem fœdam, ac curatu difficilissimam, commodissimè hæc terra vsurpatur.

Duodecimò, omnibus morbis qui per sudores expelli queant, propulsandis, vt vno verbo dicatur, conuenientissima existit.

Decimotertiò, contra phthisin exsiccãdo vlcus pulmonum hæmoptoicis, mirum in modum prodest.

Fusior

*Fusior & plenior explicatio de modo ac ratione  
utendi prædicta terra, contra prius  
enumerata corporis mala.*

**A**Nte omnia verò vt in genere de terræ huius vsu & exhibendi modo aliquid dicamus, eodem modo & iisdem affectibus præter naturam, quibus decantatissima illa **TERRA LEMNIA** veteribus & nostro adhuc sæculo Turcicis Imperatoribus & magnatibus tanto in pretio habita, vt auro etiam ipsi præferatur, conuenit, felicissimè administratur. Imò quod maius etiam est in multis morbis curandis, longè viribus superat eam terram Lemniam, quæ nunc ex Turcia vt plurimum adulterata, magna tamen difficultate ad nos affertur. Quæ in pharmacopoliis vulgò prostat, comparatione verò huius ne nomine quidem digna est. Ex quibus certè nos & grata mente agnoscere, & confiteri æquum est, singularem summi numinis in **GERMANOS** nostros liberalitatem, quòd cum Turcica barbarie, tam splendida & eximia Dei dona, non secus atque omnes artes ac disciplinæ liberales deuastatæ & corruptæ sint, nunc non solùm omnis generis præclaris artibus, literis, & diuinarum rerum profundissima cognitione Germaniam exornauerit, atq; pulcherrimè illustrauerit, verùm etiam hæc tanta nobilissima & rarissima diuina dona ad nos transferat, quo de omnibus, quæ vel ad salutem animæ, vel ad corporis incolumitatem spectare viderentur, abundè nobis prospectum atque consultum est. Et ne meis tantum verbis, qui ex pio affectu tanta Dei præclara dona omnibus libenter equidem communico, fides adhibeatur, doctis omnibus potentiam, efficaciam, atq; vires huius benedictæ, & nunquam satis laudatæ terræ, cum sano iudicio & admiratione experiundas & perscrutandas

committo, quæ iam sæpiùs experientia cognita & tentata sunt. Ea saltem in gratiam eorum qui in operibus medicis minùs sunt exercitati, nunc deinceps breuiter perstringam.

Primò, si cui venenum, vel in cibo, vel in potu, vel quocunque alio modo exhibitum fuerit, vel quis imprudenter ipsemet, vt frequenter accidere solet, lethale pharmacum degustauerit, hoc protinus simulac infectum sese persenserit, drachmam vnã, aut plus, minùsve, pro veneni violentia, ægrotantis ætate ac viribus, in liquore aliquo conuenienti dissolutam exhauriat. Tum si recens assumptum venenum sit, atque tamen vel in terra ipsa, ad præseruationem ante omnia sit vsurpata, per vomitum reddet. Sin verò longiori mora iam ad interiores venas translatum venenum fuerit, per sudorem in lectulo bene coopertus, malum illud feliciter expellere poterit. Liquores autem conuenientes sunt aqua cardui benedicti, morsus diaboli, vincetoxici, seu hirundinariæ, aqua radicum petasitis, angelicæ, pimpinellæ, & similium. Quod si horum liquorum copia ad manus non fuerit, cum vino albo alexipharmacum hoc assumi commodè potest.

Secundò, contra pestem simili modo vsurpari potest, præsertim si contagio iam correptis & infectis administranda sit. Sed si præseruatiui loco hac ipsa terra vt quis voluerit, is integram drachmam assumere non opus habet, imò dimidiam saltem matutino tempore cum vino, vel aceto calendularum, aut alio liquore conuenienti accipiat.

Ego hac terra sequenti modo, idque maximo cum fructu, ac felicitate vsus sum. Quamprimùm aliquis cordis aut capitis dolorem, horrorem febrilem, nauseam, vertiginem, & alia pestis signa persentiscit, drachmam vnã nostræ terræ, in vino, aqua, aut aceto, aliòve iusculo dissoluo, &  
agro-



ægotanti in lecto propino, sudoresque prouoco; qua ratione ac modo totum venenum in paucis horis expellitur, absque vilo externo apostemate. quòd si aliquantò tardius terram hanc quis sumpserit, sanguine scilicet iam maxima ex parte infecto, & in apostema collecto, bubo aut anthrax vna cum sudoribus erumpere solet, quo in casu non longè ab ipso apostemate vena secanda est. Vtpote si locus affectus sit sub axilla, mediana vena eiusdem brachij aperienda est: quòd si vel apostema sit circa inguina, vena illa magna sub poplite interiùs è regione alterius pedis aperienda est: quòd si autem apostema sit sub genu, vena in infima parte eiusdè pedis secanda. Interim etiam non negligenda curatio prauorum humorum, ne venenum vires repararet, & ad cor ascēdat, eo modo cor releuatum, quod reliquum est veneni, ad locum apostematis propellet. Quod tandem vbi ad summum increuerit & maturuerit, à perito chirurgo aperiendum & consolidandum est. Neque tamen hoc contemnendum est, vt nempe portio aliqua huius terræ aceto diluta, puluere cinnamomi, in pulticolā cogatur, cordique imponatur. Videbis enim hinc non paruum veneni copiam emplastro illi adherere.

Hoc quoque demum obseruandum, post assumptam terram, particulam panis tosti, optimo aceto madefacti, naribus continuò admouendam, ne scilicet vsurpata medicina à nauseabundo ventriculo rursus eiiciatur. & si reiiciatur, de integro semper propinanda est alia, donec retineatur. Hanc vtendi rationem vir quispiam maximi nominis & authoritatis, ex aula Turcica cuidam viro nobili pro maximo secreto misisse dicitur, cum hac obtestatione, Imperatoris Turcici primarium medicum hanc rationem ac modum Arabico sermone post se conscriptam reliquisse, eamque postea plurimorum hominum experientia comprobata.

Tertiò, contra morsum canis rabidi, serpētum, aliorumque venenatorum animalium, aut ictus araneorum, scorpionum & similia. Itidem contra vulnera venenis infecta hoc modo adhiberi vtilissimè hæc terra poterit. Accipiatur terræ huius quantum sufficit pro magnitudine plagæ, vulneris aut ictus, & cum salua hominis in pastam redigatur, quæ vel supra pannum lineum extendatur, & applicetur, vel paulò magis emollita loco affecto illinatur, hac ratione venenum non modò retrahitur, sed vires etiam retracti prorsus enervantur, ita vt in huiuscemodi casu vix vllum haberi possit præstantius remedium. Quòd si aliquando tardiùs medicina illa externa adhibeatur, necesse erit venenum, quod iam corpori altiùs infusum est, drachma vna huius terræ in vino aut alio liquore intra corpus sumpta, per sudores expellere.

Quartò, capitis dolores & cõturbationes, siue ab æstu, ventis aut intensis laboribus, siue à vigiliis, curis, aut grauioribus meditationibus subortas, mirificè componit, & emollit, ac spiritus consumptos reficit, si cum optima aqua vitæ, vel aqua betonicæ, roris marini, maioranæ, pulegij, aut simili, vel si calor adsit, cum aqua rosacea, ieiuno vëtriculo drachma vna terræ huius assumatur. Dolores verò ac palpitationes cordis mitigat & sedat, ipsumque cor grauatum, singulari amicitia reficit, si cum aqua melissæ, vel chelidonis, cardiacæ, buglossi, boraginis, florum tunicis, vel vino albo generoso drachma vna prædicto modo ebibatur. Contra oculorum inflammationes, lippitudines, lacrymas, & fluxiones quilibet vtilissimè adhibetur hæc terra, vel rosacea aqua, vel plantaginis, vel euphrasie, vel valerianæ, vel feniculi, vel simili, pro diuersitate affectus temperata, ac pluma nigra gallinæ, oculis instillata, vel linteo madefacto imposita. Vulneratis oculis cum albumine oui, & liquore conuenienti pro  
iudi-

iudicio præsentis medici aut chirurgi vtilissimè applicatur. Cerebri testiumve vulneribus succurrit, si cum aqua rosacea dissoluta, madefacto linteolo, vulnere adhibeatur, ita enim ab inflammatione & affluxu humorum præter naturam, atque omnibus fere accidentibus, vulnera præseruantur & consolidantur.

Quintò, Sanguinem quoq; ex quacunq; corporis parte erumpentem sistes, si trociscum vnum huius terræ in puluerem conteras, eumq; cum saliuâ hominis aut alio liquore in pultem redactum affectæ parti applices. Naturalem autem sanguinem inhibebis, si terram hanc cum aceto, albimine oui & aqua tormentillæ bene commixtam, linteoloque inductam, temporibus & occipiti sæpius applices, naribusq; ipsius adhibeas. Sanguinis verò grumos ex varijs casibus intra corpus coagulatos sic discuties, si vel solam terram hanc in vino calido, vel huius drachmam vnam, & tantundem de bolo (quem lapidæ in medio saxorum reperiunt, & germanicè *Leberstein* à colore, & à loco *Steinmarkt* appellant) in duorum ouorum albuminibus, & aceto calido cum scrupulo vno croci dissolutam ægroto propines.

Sextò, ad catarrhos dissipandos, vtere hac nostra terra manè & vesperi, vel in vino albo aut alio iusculo, idque sæpius, statimq; sudores moueas, & experieris te multum recreatum esse.

Septimò, profluuium omne ventris nimium cohibebis, si drachmam vnam huius terræ manè & vesperi in aqua tormentillæ, foliorum quercus, aut florum acaciæ nostræ, dissolutam, hauriendam des.

Octauò, ne ambusta pustulas emittant, & cutis citò renascatur, superfunde terræ nostræ aquam puram fontanam, quæ calci viuæ infusa per noctem steterit, eamq; mixturam penna nigræ gallinæ parti læsæ leniter, idq; sæpius, illine.

B

Nonò,

Nonò, si emplastris admisceatur hæc terra, liquore aliquo diluatur, aut intra corpus sumatur, dolores, inflammationes, cambium & alia symptomata vulnerum & vlcerum arcebit, præsertim in vulneribus renum, testium, intestinorum, &c. ipsaque prorsus curabit.

Decimò, pruritus, scabiem, perniones, psoram, serpigines, & alia cutis contumacia vitia, terra hæc sanat: cutemq; nitidam & glabram reddit, si in aqua fontana aut aqua plantaginis dissoluatur, eaque aqua sæpius cutis foeda & squamosa lauetur, & absque terfione resiccetur.

Postremò, anginam, interiores inflammationes, vlcera pulmonis, & alios morbos interiores curat nostra terra, si cū aqua appropriata drachma vna ebibatur, quo modo & colicam & iliacam passionem curat. Hæc ferè sunt quæ longo vsu & multiplici experientia obseruavi. alias huius benedictæ terre vires, quæ sine dubio multo plures sunt, industriæ medicorum committo experiundas. Hoc tantum eos admonere volo, terram hanc naturæ esse solaris seu aureæ, nec enim alibi nascitur, quàm in aurifodinis, inter durissimas rupes, quemadmodum & gemma (hoc de flaua terra intelligendum, nam alba in argentifodinis reperitur, & credibile est singula metalla singulos bolos seu terras procreare, quod mihi aliquo modo, nondum tamen prorsus, compertum est) vnde & à Paracelso in prima parte Chirurgiæ suæ magnæ, & alibi Axungia Solis appellatur, quòd pinguedinis cuiusdã sit particeps: prætereà à peritis quibusdam Chymicis binè mihi terræ ostensæ sunt, ex auro vna, ex argèto verò altera extracta, prorsus nostris similes. Quod cum ita sit, sine dubio alios gravissimos morbos, quos aurū rectè preparatū curare perhibetur, terra hæc nostra, vt decet, rectè præparata & adhibita, curabit, id quod sagaci & perito medico inuestigādū relinquo, mihi sufficit alijs viā demonstrasse, qua Dei & patriæ nostræ gloriam exornare, & amplificare possint.

Summatim, hæc & pleraq; alia remedia doctores plurimi in dies experiuntur, & præsertim in morbo caduco, in quo compertissimum habent, nonnullos eo contagio infectos, eius terræ de fodinis auri tractæ sumptione, liberatos fuisse, adeò vt non amplius in eiusmodi paroxysmos inciderint.

Quapropter eos ad quorum manus hæc terra peruenerit, eaq; fuerint vsi, rogatos obnixè velim, vt si quæ plura quàm doctores innumeri ( quorū ego testimonia fide digna, tum Magnatū & Principum, coram quibus facta sunt dicta experimēta, ac longè plura) siue in seipsis, siue in alijs reperiant, & experiantur, velint in ægrorum, totiusq; Reip. fraternæ charitatis ergo, quæ vniuersis Christi membris prodesse queant, significare mihi in Silesia, & in oppido nostro, vulgariter dicto *Rupfferberg* / aut clarissimo & eruditissimo Philosopho D. Ioanni Montano, Medicinæ Doctori, in Striga moram trahenti.

De vtriusq; terræ albæ flauæq; nomenclatura vt aliquid etiam in medium adferam, non puto quenquam ea de causa mihi meritò succensere posse, quòd albam de minera Lunæ vel argenti effossam, vnicornu minerale vocauerim, non tam de meo (etsi per inuentionem liceat inuentoribus nomina suis rebus indere) quàm peritissimorum fossorum, atq; doctorum Medicinæ, consilio, qui medicamentis ab effectibus nomina dare norunt, & non ex apparentia formarum externarum tantùm, vt solent nullius doctrinæ homines: flauam verò terram, Axungiam Solis nuncuparim, cùm ex fodinis auri sit eruta, summaq; diligentia postmodū præparata. Agnatam etiam & ingenitam cum auro vim & virtutem, in medendo, flauā terram, vt albam cum argento, comperimus. quo fit, vt ab istis denominari sit equū id, ex quo deriuat illud quod nomen gerit, vti solis axungia, à sole, & vnicornu minerale Lunæ, à Luna. Si quæ offendant hæc nomina, huc

B 2

na, huc

5

na, huc se conferre poterit ad fodinas quibus innascuntur, ac videre locum & adiacentia, formam & proprietates rei, priusquam ut ignarus rerum mineralium, ineptissima quæque scribat per invidiã aduersus arcana Dei, vel ob auaritiã inde conceptam, quia metuit sibi de coquina penuarioque diminui, si quandoque Germania leui pretio producat, quod ex Arabia, Turcia, barbararumque gentium omnium confinibus, petitur ingenti pecunia, maiori que lucro distribuitur, etsi vilius hoc ipso quod apud nos, vel nullo, vel tantillo habere possumus dispendio. Interim ornatissimi doctores appellari volunt, quia norunt ea quæ ultramarina sunt, at nunquam eo loco visa in quo crescunt, nec recens carpta vel eradicata, neque virentia: quod de Scordio contigit hactenus, à mercatoribus è longinquissimis regionibus allato magnis sumptibus, hoc tamen hinc in Germania nasci nuperrimè compertum est excellentius, nostrisque Germanis utilius, eiusdem specificæ formæ, cuius illud est barbarum & extraneum. Non aliter de mineralibus, metallis & gemmis videmus fieri, his postremis temporibus in Germania, teste doctissimo viro historico, Sebastiano Munstero: hæc omnia nasci, ac ad exterarum nationes maxima copia deferri, quæ ante centum & quinquaginta annos, ab exteris nationibus Germania petebat alijs iam distribuere.

Nos qui subterraneos fructus, de visceribus magnæ matris terræ videlicet, subque rupibus indefesso labore, magnis quoque venæfamur sumptibus, indices reperimus cum mineralium, tum metallorum noua quædam genera, veteribus olim, & modernis eiusmodi regionum incolis prorsus adhuc incognita. Ut interim taceam de inexpertissimis hominibus, domi semper degentibus, Doctoribusque: Fieri poterit ut isti noticiam habeant eorum, quæ nec viderunt vnquam apud matres suas, crescentium? nec sciunt cuius generis

generis, speciei vel proprietatis existant, meliùs illis, quibus & familiarissima sunt, & indies eradicantur à suis originibus? Nec tamen de singulis, elegantissimo stylo scribendi, mentiri desinunt, & carpere veritatem, nomina quibusuis ineptissima præscribere, cùm Græca, tum Latina, fictissima, stultissimaque, si rationes quibus ducuntur, introspectas. Nullam rationem proprietatis & virtutum, à quibus solùm nomina rebus à domino Deo per Adamum ab initio data sunt, perpendentes, de stolido suo capite primi auctores excogitarunt, quod sequaces discipuli pertinaciter imitantur absque iudicio: solùm hoc in medium adferunt, dixit (inquiunt) hic aut ille Philosophus, inde concludunt verum esse, quod falsissimum ea ratione coniecturasse debuerunt, ab infidelitate personarum, & veritatis ignorantia. Sic Deo & eius donis, ac patriæ suæ Germaniæ, Germani doctores & Philosophi maximè sunt iniurij, qui contemnunt naturæ suæ concessa diuinitus arcana, solùm quæ sua non sunt, sed aliena potiùs expetunt, laudant, & extollunt, suæque vili quodam animo supprimunt: imò quod peius est, nec ipsi patriæ, nec fratribus prodesse, neque volunt, neque alios id efficere patiuntur, at impedire studiosorum virorum bonos laudabilésque omnes conatus, mille conuitijs & commentis audivissimè student. Cùm tamen æquum foret, agere Deo primùm gratias immortales, qui hisce postremis temporibus, patriam nostram Germaniam tam opulentissimè ditavit, in manifestando, quæ hactenus incognitæ fuerant inexhaustibiles diuitiæ, ab initio nihilominus concessæ, tantisperque latentes, donec miseris nostri, per eiusmodi beneficiorum contemplationes, ad resipiscentiam, ex tenebris ad lucem reuocare nos voluerit. Hinc optime lector cognoscere licet eos, quos Deus arcanorum suorum esse voluit participes, à liberali-

tate sui ingenij, cum sibi solis in iniustitia non detinent, quæ  
receperunt arcana Dei, sed volunt alijs, idque bonis & pijs  
etiam esse communia: cæteros verò voluit studere sibi so-  
lis, ac semper, sed nunquam ad veritatis cognitionem per-  
uenire: Solent isti retinere, quæ nec intelligunt, apud sese,  
nec alios ad intelligendum idoneos, intelligere vellent. Inu-  
tiles prorsum, & sibi, & alijs, homines, tanquam aridissimas  
arbores relinquamus, simusque, quantum à domino Deo  
datum est nobis, frugiferæ, laudantes eius gloriam, & expe-  
tentes non honorem, neque proprium commodum: ad  
quod opus nos creauit, etiam nos reddat vtilis & idoneos  
in regno suo: cum quo nobis omnia pollicitus est, quæ ne-  
cessaria sunt, vbi hoc primùm quæserimus. Huic soli

Deo sit honor & gloria perennis, quæ ab  
æterno fuit, in æternum,  
Amen.

PRIN-



PRINCIPVM, ET MA-  
GISTRATVVM TESTIMONIA,  
QVI EXPERIMENTA, AC VELVT MIRACV-  
losa, Terræ sigillatæ Silesiorum dictæ, prodigia viderunt ipsi-  
met in præsentia sua fieri. Quapropter suis diplomatibus diuina  
fateri dona, ac Dei gloriam extollere, nec non ei gratias pro  
tanto beneficio Germaniæ præstito, ferre volue-  
runt, veritati subscribendo, vt in-  
frà patebit.

*Primò*

DVPLVM HOC EST DIPLOMATIS AB  
*originali suo Germanico Latine fideliter traductum, quod Illu-  
strissimus Princeps Guilhelmus, Landgravius Hassiæ, in Cas-  
sel, Comes in Catzenelnbogen, Ditz, Ziegenheim & Nidda, &c.  
Andrea Bertoldo ab Oschatz, sua clementia & benignitate  
impertiri iussit, per suos Medicinæ Doctores, & Cancellarium.*

NOTUM facimus, ad Illustrissimum, & Generosissimum  
Principem ac Dominum, Dominum Guilhelmum  
Landgravium Hassiæ, Comitem in Catzenelnbogen, Ditz,  
Ziegenheim, & Nidda, &c. Principem ac Dominum no-  
strum clementissimum, venisse honestum virum Andream  
Bertoldum ab Oschatz, ac indicasse humiliter, in veteri qua-  
dam aurifodina in S. Principatus Schueidnitz, se reperisse  
Axungiam Solis, siue Terram sigillatam, aduersus omnia  
venena, & plerosque morbos præsentaneum antidotum,  
atque remedium præstantissimum, eamque sub forma sigil-  
latam obtulisse venalem illustrissimæ suæ Celsitudini. Qui  
quidem stare nudis verbis nolens, suis Medicinæ doctori-  
bus, Mauritio Thaurern, & Laurentio Hyperio commisit,  
vt as-

vt assertæ rei facerent periculum in Axungia solis, & Terra sigillata, quàm diligentissimè valerent. Quapropter præ-nominati Medicinæ Doctores Principi suo, vt æquum est, obediens, eiusmodi Terram sigillatam duplici probarunt examine, ad hunc modum: Quatuor ac diuersa venena maximè lethalia secundò sumpserunt, videlicet Mercurium sublimatum, Aconitum, Nereum, & Apocynum, & ex quolibet drachmam semis, octo canibus adhibuerunt intrinsecus, & istorum quatuor vnà cum veneno Terram sigillatam, reliquis quatuor non exhibuerunt eam, at cum solo quemque veneno reliquerunt. Istorum quatuor qui solum venenum deuorant, primus canis cui datum est Apocynum, post semihoram; secundus, qui Nereum sumpserat, intra quartam horam: tertius qui Mercurium sublimatum deglutiuit, intra nouem horas (quanquam hi omnes venenū sumptum euomuerunt pro parte, nihilominus post martyria crudelissima conuulsionibus & tremoribus) interierunt: quartus autem canis qui comederat Aconitum, tredecim admodum graues paroxysmos spasmodicos sustinuit, vt crederetur cum cæteris moriturus, diem primum tamen superuixit, cumque huic & media dosis antidoti esset adhibita, sanus euasit. Reliqui verò quatuor canes, quibus venena dicta, simul & Terra hæc sigillata, partibus æqualibus data sunt, ac deuorant, tribus post sumptionem horis, debiles vtcunque fuerunt, præsertim vnus ipsorum, cui dupla quantitas Aconiti data fuerat ex negligentia, ter vomuit: postero die tamen omnes conualuerunt, & maximo cum appetitu ederunt, vt sumpti veneni vix minimum signum appareret. Cùm igitur Illustrissima Celsitas sua Terram hanc sigillatam, aduersus venena tam præsentaneum esse antidotum viderit experimento, & Andreas Bertoldus antea dictus, eius experientia testimonium exegerit, cùm

rit, cū in eius fauorem, tum in veritatis promotionem, vt etiam alijs innotescat, recusare noluit: Sed ipsi testimoniales has literas, Illustrissimæ Celsitatis S. secreto sigillo munitas, atque præfatorum Doctorum (qui hoc dictum examen adhibuerunt) manualibus subscriptionibus confirmatas, dari iussit. Quod quidem nos præfati Doctores Illustrissimæ S. C. in obedientiam, & promotionem veritatis, quia rem veram ac iustam, vti suprâ narratum fuit, comperimus, libenter fecimus. Actum vigesima octaua Iulij, anno millesimo quingentesimo, octuagesimo.

*Mauritius Thaurer D.*

*Laurentius Hyperius M. D.*

*Iohan Krug.*

**C** Obser-

Obferuatio, vnd Auffſchreiben/ welcher maſſen  
die Terra Sigillata/ in gegenwertigkeit vnd beweſen Fürſt-  
licher gnaden/ ſampt dero hertz zu verordenten Heſdoctores/ vnd  
Hoffapotecker/ mit Hunden auff dem Schloßz  
in dem obern Saal probirt  
worden.

**A**nno Domini 1580. am tage Jacobi/ hat  
der Durchleuchtig Hochgeborne Fürſt vnd Herr/  
Landtgraff Wilhelm zu Heſſen/ die Terram ſigilla-  
tam, ſo Andreas Bertholdt von Dſchaz gebracht/ zu Caſſel  
nachfolgender geſtalt probirt an Hunden.

Einem Rüden/ ſo grau gelb geweſen/ den hat man Mor-  
gens zwifchen acht vnd neun Hora/ wie denn auch auff dieſel-  
bige zeit den andern Hunden eyngegeben worden/ ein ſcrupel  
Mercurij ſublimate, vnd ein ſcrupel Terræ ſigillatæ eynge-  
ben. Dimidia hora ad ſecundam demum copioſiſſimè vo-  
muit. Hora tertia iterum vomuit materiam bilioſam, ſicut  
& poſt quartam, ac nullo alio ſæuiori ſymptomate corre-  
ptus euasit.

Einem Köter ſo gelb vnd weiß geweſen/ eyngeben ein ſcrus-  
pel Mercurij ſublimate, vnd nichts darauff. Dimidia elapſa  
hora emiſit vrinam, & paulo poſt excrementa alui, poſt ſe-  
mi horam corripitur ſpaſmo ad terram decidens, quo ceſ-  
ſante, anhelante rictu diutius ſtetit, & paulo poſt iterum con-  
uellitur, atque poſtea intumuit admodum venter inferior.  
Hora prima corripitur ſpaſmo ad terram de vehementiori,  
& paulo poſt totus interiſſe videbatur fermè per quartam  
horæ partem, ſed circa dimidiam ſecundæ horæ, rurfus cœ-  
pit ingredi, & per ſeſquihoram continuò inſiſtit pedibus  
motui planè ineptis, ante quartam & in puncto quintæ, ite-  
rum

tum vehementer conuellitur, & inde aliquoties, tandem moritur noctu.

Ein schwarzen Messgers Hundt / mit einer weisen Kes-  
len / mehr als ein ganz quintlein Aconiti, vnd ein quintlein  
Terra sigillata drauff. Elapsa dimidia hora, vomuit copio-  
sissime, ac elapsa alia dimidia hora vomitu reiecit quiddam  
spumosum, post primam horam tertio vomuit, & sic eua-  
lit.

Einem braunen rauhhârigen Rôter / mit einer weisen Kes-  
len / eyngeden ein halbes quintlein Aconiti, vnd nichts dar auff.  
Post horam corripitur tremore spasmoque vehementiori,  
altera elapsa hora, & circa primam iterum conuellitur, ac  
aliquot vicibus, similiter post primam, & dimidia ad tertiam  
spasmo tentatur, sicut & hora tertia, & post tertiam graui-  
sima affligitur conuulsione, & paulo post patitur spasmus  
fortem, vrinam copia magna emittit foetidissimam, ite-  
rum patitur paroxysmum spasmodicum fortem, atq; huic  
cani, iussu illustrissimi principis Landgrauij Hassiæ, domi-  
ni nostri clementissimi, dimidia dosis Antidoti exhibita fu-  
it, atque tandem incolumis euasit.

Einem schwarzen Rôter mit einem weisen Hals / eyngeden  
ein halb quintlein Nery oder Oleander / vnd ein halb quintlein  
Terra sigillata. Circa primam demum vomuit copiosè, &  
paulo post iterum atque iterum habuit vomitum viridem,  
post dimidiam secundæ, saluiam spumosam reddidit, fuit-  
que hic canis inter reliquos qui Terram sigillatam accepe-  
runt, viribus deiectionibus, sed tamen euasit.

Einem braunen Rôter mit einem weisen Hals / eyngeden  
ein halbes quintlein Nery, vnd nichts dar auff. Primum vo-  
muit materiam tenuem, circa decimam rursus vomuit,

C 2 post

9

post 12. corripitur tremore spasmoque vehementiori, fuit-  
que paroxysmus longior ac multo sauior. paulo post reuer-  
titur, dimidia ad tertiam conuellit denuo, & iuari reiicit,  
post tertiam fortissimis conuulsionibus corripitur, & intra  
3. & 4. moritur.

Einer grauen zöttichten Hündinne eyngeben ein ganz  
quintlein Apocyni, halb Wurzel vnd halb Kraut/vñ ein ganz  
quintlein darauff Terræ sigillatæ. Hic canis, quantum ocu-  
lis deprehendi potuit, per totum hunc diem nullo acciden-  
ti corripitur, incolumisque euasit.

Einem braunen Koter eyngeben ein quintlein Apocyni,  
halb Wurzel vnd halb Kraut / vnd nichts darauff. Elapsa  
dimidia hora post venenum assumptum, corripitur primū  
tremore spasmoq; vehementiore, & paulo post subito mori-  
tur, spectantibus nobis non sine stupore.

*Mauritius Thaurer D.*

*Laurentius Hyperius D.*

DVPLVM

*DVPLVM HOC EST DIPLOMATIS, AB  
originali suo Germanico Latinè fideliter traductum, quod Ge-  
nerosus Comes VVolfgangus, Comes in Hohenloe, Dominus  
in Langenburg, &c. Andrea Bertoldo ab Oschatz, in testimo-  
nium virtutum Axungiae solis, siue Terrae sigillatae nuper in  
Germania repertae, medicinalium, aduersus dirissima vene-  
na, morbosq; varios approbatae, per experientiam ocularem, no-  
mine suo dari iussit.*

**N**Os Wolfgangus, Comes in Hohenloe, Dominus in  
Langenburg, &c. manifestum facimus ac fatemur his-  
celiteris, nuper ad nos venisse in Langenburg charum An-  
drea Bertoldum ab Oschatz, & retulisse nobis, habere se  
veram Terram sigillatam, quae necdum ad varios grauesq;  
morbos, verum etiam aduersus omnis generis venena, vt  
per testimoniales aliquas literas ostendebat, eam in multis  
canibus approbatam alias fuisse, vt non minus caeteris ad eam  
experiendum nos commouerit. Accidit eo tempore, vt qui-  
dam nomine Wendel Thumblardt sub nostri Dominij in  
Langenburg officio Praefecturae, propter commissa furta ca-  
ptiuus detineretur in carcere, qui per iusticiarios nostros exa-  
minatus confitebatur septuaginta furta commisisse. Qua-  
propter ad Praetorium Consistorium adductus ibidem adiu-  
dicatus morti, laqueo suspendendus fuit. Cum autem ad-  
huc in carceris custodia detentus audiuisset adesse tale me-  
dicamentum aduersus varios morbos, dira q; venena praeser-  
tim, post latam eiusmodi sententiam, per suos parentes &  
amicos praesentes, quorum paruus numerus non fuit, orare  
iussit propter misericordiam Dei, pro remissione vitae, offe-  
rens sese ad summptionem acerrimi veneni cuiusuis, vt saltem  
in ipso comprobarentur eius Terrae vires atq; virtutes. Hac  
de causa, non solum ob humilimas preces, verum etiam &

C 3

praeser-

10

praesertim in utilitatem totius humani generis, si forte medicamentum hoc responderet assertis, misericordiam facinoroso facientes, vitam hac ratione dimisimus. Quapropter hodie praesentium dato, in praesentia nostra, & charissimi nostri nepotis & Germani, Comitis Georgij Friderici à Hohenloe, & Domini in Langenburg, nostrorum & suorum Nobilium ac famulorum, praedictus patiens Mercurij sublimati drachmam semis in saccharo rosato mixti, & post ea desuper in veteri vino drachmam vnam Terrae sigillatae dictae sumpsit ore deglutiuitque. Et quamuis venenum hoc patientem vehementissimè torisit anxieque molestavit, ex iudicio nostri Physici celeberrimi, Georgij Pistorij, Medicinae Doctoris in Oringevv, & Pharmacopolae nostri Ioannis Lutzen, ab initio ad finem vsque negotij huius astantium, apparuit: Nihilominus Terra sigillata finaliter veneno vires omnes adimens, ipsum superavit, vnde liberatus est miser homo, pristinaeque sanitati restitutus, eumque parentes, ex praeepto, deinceps penes se receperunt. Cùm igitur praefatus Andreas Bertoldus ab Oschatz, hac de re testimonium à nobis fidedignum sibi concedi & impertiri, humiliter supplicauerit, in veritatis confessionem & promotionem, denegare minimè potuimus, ac illi hasce literas sigillo nostro secreto munitas dari iussimus. Datum actumque in Langenburg vigesima prima Ianuarij, anno à Christo nato millesimo, quingentesimo, octuagesimo primo.

DVPLVM



*DVPLVM HOC EST TESTIMONIALIS*

*diplomatis à Magistratu Ciuitatis Iuliacensis, Domino Crisanto à Cronenburg, ciui Colonienſi, nomine & pro Domino Andrea Bertoldo Oſchatzenſe, dati & conceſſi, de viribus & virtutibus Terræ ſigillatæ, nuper in Germania repertæ, ab originali ſuo Germanico Latine fideliter tranſlatum.*


**N**Os Conſul, Scabini, & Senatus Ciuitatis Iuliacenſis, notum facimus vniuerſis & ſingulis, comparuiſſe coram nobis honeſtum virum Crisantum à Cronenburg, ciuem Colonienſem, ac indicaiſſe habere ſe præſentaneum remedium veramq; Terram ſigillatam, aliàs Axungiam ſolis terræ S. Pauli, vnicornu minerale, vel Terram Adami dictã, in diuerſis trociſcis, coloris extrinſecus ſubruffi, & nonnullis ſubgrifei, celato ſigillo ſignatis: in cuius ſcuto ſunt ſol & ſemiluna cum ſtellis quinque, ſuperiùs autem extra ſcutum ad galeam & ornamenta literæ A. B. & ad alterum latus V. & O. habentur impreſſæ. Rogauit igitur à nobis concedi ſibi, terre huius in canibus vel alijs brutis experimentum facere poſſe in noſtra præſentia. Quo præmeditato dedimus locum eius petitioni. Mox inde iuſſit præfatus Crisantus adduci ſibi duos maximos canes æquales, & apportari Mercurij ſublimate, vt vocauit, pondus duorum coronatorũ, quod in duas æquales partes diuiſit, in noſtra præſentia, noſtriq; iurati Chirurghi Magiſtri Ioannis de Oitvveilers, quarum partem vnã per ſe abſq; vlla additione, vni canum dedit cum larido deuorandam: alteram verò dicti veneni partem, alteri cani dedit, Terræ dictæ ſigillatæ puluere miſtam, etiam cum larido venenoq; , quantitate trium trociſcorũ. Vterq; canis quod ſibi proiectum eſt, præſentibus nobis deuorauit: ambo vomuerunt, debilesq; vehementer facti ſunt. Poſt ſextam à ſumptione horam, primus canis, qui Mercurium ſublimate  
tum

tum purum absq; Terra sigillata deuorauerat, mortuus est. Alter tamen qui cum additione Terræ dictæ venenum hoc etiam ederat, viuis remansit ac sanus, & in alterum diem inclusus, nobis consentientibus incolumis dimissus est. Cùm itaque hæc ipsa, vt narrata sunt, ipsimet viderimus, præfato Crisanto à Cronenburg, vt sese nominauit, ad eius petitionem præsens hoc testimonium cum appenso cordellis nostro sigillo, impertiuimus. Datum Iuliaci anno minoris numeri octuagesimo, duodecima Mensis Februarij.

*Paulus Herl subscripsit.*

**DVPLVM ISTVD IMPRESSVM IN PRÆSENTIA honorandi Henrici Wendelen, & Theodorici à Bruck, amborum Scabinorum in Dusseldorff, per me Antonium Burcker Archigrammateum ibidem, cum originali suo vero, sigillato, subscripto, non raso, none cancellato neq; suspecto, quod in custodia prædicti Crisanti seruetur, diligentissimè collationatum est, & de verbo ad verbum cum eo concordare fateor, quod ego præfatus Antonius Burcker attestor manu mea, & subscripsi. Actum ac datum nona Martij, anno octuagesimo secundo.**

**TER**





TERRAE SIGILLATAE VTRIVSQUE, SIVE  
Axungiae Solis & Lunae, quam posteriorem, vnicornu minera-  
le Lunae vocari volunt, ex iudicio præclari viri Domini Io-  
annis Montani Silesij, Philosophiæ Medicinæq;  
Doctores celeberrimi.

Postquam de Terra sigillata vestra Strigæ, Domini mei  
Pobseruandissimi, totam audire cupitis historiam, virtu-  
tes eius & vsum breuibus comprehendi. Propter infinitas  
vires, aliud nihil esse potest, quàm extractum essentiæ quin-  
tæ, siue nucleus, vt est: quapropter ab omnibus non satis in-  
telligi, vel ad vsum applicari poterit, ni fortè per sapientem  
virum, rursus in suam primæuam terram originis, vel agrum  
adducatur, in quo tum demum emittit suum truncum, fo-  
lia, flores, quodq; peculiariter cognoscibile, simul & immen-  
sam vtilitatem, quæ breuibus explicari minimè potest, nec  
debet. Cùm iam ante triginta annos, admirandum hunc  
naturæ thesaurum, simul & bolum armenum, vnà cum gem-  
mis plurimis, hinc in Silesia, gratia Dei mihi concedente, de-  
texisse datum sit, quo quidem, vt dono Dei in vtilitatem &  
necessitatē proximi sum vsum in secretissimis, maxima cum  
reuerentia velatum esse tantisper volui, nec nisi paucissimis,  
eisq; dignis, qui norunt vsum eius, reuelatum. Nunc autem  
per Dominos meos toti mundo, & vniuersæ Christianitati  
manifestatur, nec immeritò, cùm & alia multa pariter arca-  
na, & omnes thesauri breui iam futuri sunt manifesti. Proin-  
de ex tenuitate mearum experientiarum, aut ingenij, singu-  
lis cùm doctis, tum indoctis hominibus, de origine huius  
terræ, natura, virtutibus, & vsum, non nihil indicare, quò vale-  
ant vltèrius de hoc thesauro perquirere, volui: nihil derogā-  
do tamen auctoritatibus maiorum Scribentum, Theo-  
phraasti Paracelsi, nec aliorum quorumcumq; naturæ scruta-  
torum, at mea potius submitiendo.

In primis de hac vera terra sigillata, loquitur (meo iudi-  
D . . . . . cio)

cio) Theophrastus Paracelsus, cum deum mentuat Marinū Glaucum, per varias inquisitiones veterum & antiquiorum, in herbam desideratam dictam Gelautium (vt apud Ouidium Nasōnem scrutatorem naturæ legitur) fuisse transmūtatum: hanc esse veram scoriā metallorum, non primam quidem, neq; secundam, sed tertiam ac vltimam, peculiari- ter separatam, ac velut ab omni veneno & arsenico metal- licis, prorsus despumatam, & in purissimā terram penè sim- plicem factam, paucis metallorum notam fossoribus. Sapo- nis instar pinguis, cum talis non sit ac sapo, similis aureæ cal- ci, vel calcineo lapidi atreo videtur, vacua terra quædā, quæ nihil tamē in se recipit, nec venenum admittit, contra quod est optimum præseruatiuum, & præsertim aduersus aërea subterraneaq; venena, quapropter fossoribus metallorum vtilissima. Attrahit omnē aërem noxium ad se venenatum- que. Habenda est pro excellentissimo Bezoartico veneni do- minatore, ex qua suum aquila fabricat lapidem. Reperitur in montanis lixiuis pura, & penes omnia metalla, cuiusuis coloris etiam, cuius & ipsa metalla vel mineralia, nisi quod solida non sit.

In Chirurgia sua dicit hanc Terram sigillatam veram esse, mineralem terram albam & subtilem, ac peculiarem, quæ suos in terra meatus habet vt metalla, cuius arcana tam sub- tilia sunt, vt non subtiliore valeant in metallis arte reperiri, pauca admodum quantitate inueniri, sibi que rarò admo- dum præ manibus obtigisse, quamuis longè lateq; sit pere- grinatus, idq; per circunforaneum Arabem, cum tenderet in Croatiam, semel, in S. Maria de Loreto aliàs, per industri- um quendam mineralium fossorem Siculum, se vidisse cru- dam, adherentibus scorijs meatuum suorum. Hæc sigillo notatur in forma trociscorum, latitudine pollicis vnguis, atque tenui: nonnulli Terram S. Pauli vocant (ipse verò Pauladadam nominat) quamquam adulteratur, per com-  
positio-

positionem, vt veram æmulatione quadam ementiri videatur. Ea ipsa terra est, de qua tam varia scripta reperiuntur virium atq; virtutum eius monimenta. Non potuerunt hactenus, quotquot sunt Germani, Galli, seu Itali doctores, eam suam, qua in dies vtuntur, nil esse præter meram imposturã, deprehendere, ex argillæ albæ de proximo quoq; cumulo, desumptam, & postmodum ablutam; pharmacopoliã omnes modò repleuit, quia veræ tanta copia per librarum centenaria haberi nequibat, vt sufficeret omnibus. Hactenus ille.

Scribit alter, maximus Philosophus multæ authoritatis in hanc sententiam.

Terræ sigillatæ virtutes immensæ, quas habet ultra venenorum sumptorũ debellationem, breuibus indicandæ sunt. Oculorum varios curat affectus, vt rubiginem, maculas, &c. si præparetur aqua fontana, & extrahatur iuxta vulcanicam artem.

Nec satis laudari potest, cùm eius arcana per aquam vitæ, ritè fuerint extracta, singulis diebus pondere magni grani hordei sumpta, contra membrorum paralyfim, calores intensissimos, & præsertim aduersus capitis rabiosos dolores, quos citissimè pellit, radicitusq; tollit patientem liberando. In summa, Philosopho satis indicatum sit his paucis, inuincibile contra venena quæuis, & mortem, in morbis omnibus antidotum certissimum esse. Hæc ille.

Ego verò hanc Strigicam Terram ex arte chymica (quæ meritò Magister & dux omnium, in quibusuis artibus, doctorum, & literatorum virorum est) existimaui aurum inuersum esse, per diuinum ordinem, & nature prouidentiam, à metallica natura, in summam medicinam, veris medicis & ægrotis præparatam, ac transmutatam, præsertim aduersus venena intrò ab hominibus assumpta, quæ alioquin grauiter, nec sine maximis sumptibus haberi vel præparari potest: vt ego ex auro Hungarico, terram confeci Strigicam per-

D 2

simi-

13

similem (vnde mirari cogor) & pondere ad suam terram, aurum duplex inueni.

Experientia me docuit in fodinis, à coloribus eius terræ, aureo videlicet, albo, viridi, carnis, griseo, nigro, flauo, &c. quos ibidem inueni, ex omnibus metallis eam fieri. Verùm Strigica, ex meatibus auri subterraneis præstantissima est, quanquã & alba vel argentea simul concurret, quam Theophrastus Paracelsus aurea minùs æstimat, iuxta suam descriptionem: ex qua colligi potest, auream ad omnia quibus aureæ medicinæ sunt vtilis (quarum quidẽ pleni sunt libri) similiter & argenteam, ad ea, quibus argenteæ medicinæ conducunt, vsui esse & vsurpari, ac vltra, particulariter ad venena.

Quod ab innumeris virtutibus eius, necdum satis detectis videre est, quarũ dispositio penes expertũ spagyrum esse debet, vt si multa de sole prædicentur, hunc esse rubeũ lapidem Philosophorũ, qui morbos curat omnes: est etiam terra hæc aurum, vel calcis aureæ lapis, vnde multa resultat speculatio.

Si Christus lilia campi, supra Salomonis indumentorum ornatus omnes, in omni gloria sua laudat, cum tamen herbeduntaxat existant, in quibus sanitatis etiam gradus inest minimus, quantò maiori laude hæc, aut similis terra metallica digna est? cum herbas metalla, vel metallica medicamenta, superent herbalia, gradibus tribus?

Nam si medicina creata sit ab Altissimo, iuxta sententiam Sapientis, ad omnes egritudines, ex terra, vti videmus in herbis, floribus, seminibus, radicibus, arboribus, quorũ omniũ medicina est ex terra nata: terra hæc sigillata est etiam medicina, vel ex ea medicina trahitur per spagyricam artem, sapiens igitur illã non contemnet, cum suas virtutes palàm fecerit, ac in suum finem & effectum, ad quem à Deo creata de terra fuit, adduxerit.

Si mel sit medicamentum ad omnia vulnera, & multos  
inter-



internos defectus, huius terræ mel excellentius est, quàm dici queat, illo.

Si balsamum Indianum sit Monarcharum thesaurus, & Regum. Terra hæc etiam est apud Turcarum, ac alios Imperatores & Reges thesaurus repositissimus, in summâ necessitatem. Si dictum Balsamum conseruat corpus ab omni putredine in multos annos, & nullam permittat ægritudinem radices ponere, Terræ Balsamum huius id ipsum efficit.

Hinc habet hæc Terra sibiq; similis, omnis generis bonos & suaues odores super terram, non secus atq; Balsamum Indianum laudatissimum & efficacissimum odorem de se præbet, quod non est quibusuis notum, at in Magnete benè perceptibile, & intelligibile: vnde maximorum arcana multa naturæ deprehendi possunt à sapiente.

Si Medicinæ thesaurus maximus insit in Antimonio reuerberato, & fixo, ac in sulphure, quid hinc adesse potest, cum hoc sit illud summum auri sulphur?

Magnes attrahit ferrum, sic & natura huius terræ subtilem & medicinalē aquam, vna cum aëre sublimi, fortasse quid aliud, ecquis nouit cuiusnam vsui? maneat in experientia. Varij sunt eiusmodi magnetes: nullus grex sine pastore. nam vbi cadauer, ibidem congregantur aquilæ, quæ ex eo suum lapidem conficiunt.

Si Phoenix anno millesimo renouat iuuentutem, ecquis nouit quid nã hinc lateat, quid omnia valeant in omnibus efficere, & quid nobis Ophir ac Peru donorum offert, vbi domus integræ habentur aureæ, vt nobis aliqui retulerunt Hispani fide digni? Satis inde liquere potest, in pretioso nido volucrē non residere vilem. Est pariter in auro quærenda renouatio iuuentutis, vt scitur, & inuenienda.

Miranda scribuntur de columnis Archaltis, polis, figura mundi, centro terræ, monocerote, ambrosia, lilio albo, origine, cancro, carbunculo, halcionia, regeneratione & re-

D 3. surre-

14

surrectione. Doctos oro viros, vt velint in huius terræ natura, simile quid etiam inuestigare, non sine maximo fecerint emolumento, necnō agent mihi gratias: considerent etiam diligentissimè, quamobrem hæc Terra fuerit à veteribus & sapientibus sigillata. Item quidnam eius signatura, fissura, intumescencia, nitor, & resplendentia, lapidisq; sui spongiositas, indicent ab eiusmodi signis. Quapropter Dioscorides fragilem terram vocat, quam venenorum propulsatores ex familia S. Pauli in Italia, pro magno aduersus venena habent arcano. Quamquam aliquoties alijs permiscet. Nitore maximo splendet instar speculi, vt in ipsa species introspecti queat, non secus atq; tumores venenati solent. Finditur in frustula, tumoremq; trocisci concipiunt, sicuti vulnerata cutis à vipera: hoc efficiente prouida natura ( vt in omnibus simplicibus naturæ physicè fit ac metaphysicè ) maxima sua innataq; industria per diuinum ordinem, quo virtus rerum & vsus tamquam ex scriptura cognosci valeant, etiam ab illiteratis, cum scripturam signaturæ quibus legere queat. Cuius Scholæ legum, nostri doctores non meminerunt, etsi melior sit pars veræ literaturæ, per quam specifica & occulta virtus innotescit: Interea contenti sunt frigiditate, caliditate, humiditate, & siccitate, velut externis virium corticibus.

Per intumescenciam cognoscitur etiam vera Terra sigillata. Quantum experientiæ huius, Turcica Lemnia Terra sustinet ( vt in ea sum expertus, quò Regibus & Imperatoribus pro maximo dono ac thesauro solùm offeratur maiore copia ) tantum de hac terra admiscuerunt.

Spumofus verò lapis cui innascitur, indicium inter cætera mihi præbet, vt cognoscam quod sit optimum eius corpus in quod adduci queat extrinsecus, & intrinsecus, aduersus antea dictas ægritudines, & alias, vt coniecturam facio.

Dissoluta ac temperata per saluam ieiunam bene complexionati saniq; iuuenis, qui diebus aliquot prius non est  
vsus

vsus inconuenientibus, in hanc rem, cibus, vt sunt allia, cepæ, suillæ carnes, pisa siue legumina, fabæ, & id genus alia, vel in summa necessitate per vniuscuiusque saliuam propriam ieiunam tamen, ac nullo infectam veneno, super externa vitia, pulricula hæc illinatur.

Item eiusmodi cum saliuâ dissolutio, vel cum aqua chelidoniæ, vel eiusdem succo, sed priusquam deglutiatur, eo liquore aliquandiu in ore contento, lauetur os, & postmodum expuatur, idq; tertio, tandem recens hauriatur & intro assumatur diglutiendo.

Qualenam sit hoc idioma, & quid ex eo concludendum sit arcani, vel excludendum ex prædictis omnibus & singulis, facile colligent qui ex Deo docti sunt, & quidnam sit latius agendum, vsque dum aureum illud vellus in Colchide, Halcionium & Halcionem vnâ cum inhabitatoribus suis, tum etiam animam Iulij Cæsaris in Cometam transmutatam, in parte & vniuerso, multiplici & vno, bene perquirant. Huius indicium, ac velut exemplar proponit ipsis hæc Terra sigillata.

Et quamuis eiusmodi terra, rudi modo in usum assumpta, miranda patrat, melius ac tutius tamen, iuxta naturæ verum ordinem, fuerit, vt (ad prædicta potissimum) præparetur, per ignis artem & Chymiam in tria sua prima repartiat, & quodlibet postmodum repurgetur in seipso: primo in suum Mercurium, quæ media pars est, & ex reliquo suum oleum sulphureum, vel tinctura trahitur pulcherrimo crocco colori similem (quæ leuiter in valde subtiliorem & puriorem terram sigillatam redire potest) relinquit albissimam niuis instar, & candidissimam terram. Quodlibet igitur à vitiato vinculo suo liberum, cuius loco diuino vinculo (vt cuiuslibet naturali & supernaturali conuenit, ex diuino & naturali ordine) rursus in vnum vinciantur omnia clarificatum corpus: renatum, & confirmatum sit.

Cum

14



Cum ista similisve preparatio huius terræ, fuerit à medico ex Deo, diligentia peculiari suscepta, medicina tum demum bis multa poterit in proprium redire (quæ hac tempestate cœno prorsus obruta claudicat utroque pede, cum cæteris artibus, in eodem statu languentibus) & unà dierum cito, tutoque suum, & iucundè satis amplè recuperare.

Cum, ut antea narratum est, preparatur, vsurpaturque, reliquis apothecariorum remedijs comparo, tamquam aurum cœno lutove: per experientias, cõmendatur solùm & sigillatur, magis quàm externis characteribus Terræ sigillatæ per veteres impressis, quod quidem signatoribus omnibus palàm est, & eius propria natura demonstrat. Ideò non frustra per mille artifices (ut reliqua præclara quæque naturæ producta) falsificatur.

Nec est quod existimetur, prædictam præparationem opus esse cuiusvis, aut vsum & administrationem tantarum virtutum huius terræ, convenire omnibus medicis.

Non est etiam quòd quispiam derideat quicquid ab auctore, vel à me, partim experientia, partim ex certa quadam Theorica (contemptori prorsum ignota) narratum fuit: solùm consideret parùm æstimari. Hoc solo contentus sit, nempe quod sequitur, derisori pariter ignotum, ut reliqua, non competere thesaurum hunc & simile quodque, nisi venturo sæculo, cum à suis sordibus per antimonium repurgatus mundus fuerit. Hæc solùm doctis dicta sint, ad gloriam Dei, hominumque piorum utilitatem.

**F I N I S.**

ANDREAS BERTHOLDVS OSCHAT-  
ZENSIS AD LECTOREM.

Vniuersis & singulis naturæ thesaurorum studiosis indagatoribus, qui medicinæ huius admirandæ latentis in Terra sigillata Silesiorum, fieri cupiunt, pro sua suorum-que necessitate, participes, ad sanitatis cum instaurationem, tum conseruationem & præseruationem aduersus omnia venena: pariter in quarumuis exterarum nationum gratiam & vtilitatem, notum facimus, cum plurimos Medicinæ doctores, atque proceres viros obnixè me rogasse, Andream Bertholdum Oschatzensem, super montem vulgariter dictum *Rupfferberg*/ penes auriferum fluuium *Bober* dictum sermone Germanico, morantem, vltra primam originem fluminis *Albis*, vulgò *die Elbe* / miliaribus septem prope montem dictum Germanicè *Risenberg* / situm, vt aliquo loco non longè à *Rheno* fluuio, & præsertim *Frankforti*, bonam huius terræ quantitatem relinquerem, quò in absentia mea, quoties opus esset, reperire possent. Cum itaque iussissem hæc exemplaria cudi apud prouidum honestum-que virum *Dn. Christophorum Coruinum*, ciuem *Frankfortensem*, *Typographum*, non potui meliùs eam terram dare conseruandam quàm ipsi, nec non distribuendam nomine meo quibusuis eam cupientibus, idque certo & honesto precio: quod vix tandem, vt faceret, obtinui, nec nisi quia per ipsum exemplaria cusa fuerunt. Quamobrem Deo dante singulis annis, & nundinis, si vita mihi supersit, mittere destinaui nedum sigillatæ Terræ bonam quantitatem, verum etiam gemmarum ad medicinam vsui venientium, vt sunt *Rubini*, *Smaragdi*, *Saphyri*, *Iacinthi*, *Carneoli*, *Citrini*, *Chrystalli*, *Gamahei*, *Ametisti*, *Granati*, *Serpentinæ*, ac id genus aliæ. Quicumque igitur his mineralibus at-

E

que

15

que gemmis ad medicinam, aut alias indigebit, apud ipsum  
præfatum Coruinum Typographum inueniet, & Terram  
sigillatam omnino præparatam, in vtilitatem Reip. totius-  
que generis humani, Germaniæ patriæ nostræ conces-  
sam, à domino Deo nostro, cui soli sit laus,  
honor, & gloria in æter-  
num.

*Andreas Bertholdus Oschatzensis  
qui supra.*

·Francoforti ad Mœnum,  
EX OFFICINA CHRISTOPHO-  
RI CORVINI.

M. D. LXXXIII.

Q 4077 a

ULB Halle


3

002 186 144




55-









TERRAE  
SIGILLATAE  
NUPER IN GERMA-  
NIA REPERTAE,

Vires atque virtutes admirandæ,  
eiúsque administrandæ ac  
vsurpandæ ratio.

*Ex multiplici experientia* ANDREAE  
BERTHOLDI Oschacen-  
sis Misnij.



Anno M. D. LXXXIII.

13)